



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies
quadraginta**

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

De bello Machometi aduersus Ecclesiam Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

cum esset disputaturus cum Alexandro episcopo Alexandriae Constantinopoli, cum ventrem purgaret, emisit omnia intestina, sic de aliis, Matth. 15. Omnis plantatio, quam non plantauerit pater meus, &c. Deu. 32. Vbinam sunt, cessare faciam ex hominibus memoriam.

De bello Machometi aduersus

Ecclesiam Christi.

C A P. 29



Ubi ecclesia Christi esset in pace En. 3. bestia de qua, Dan. 7. scilicet pardus, varij coloris, id est machometus, à quo cœpit quinta monarchia, quæ plus nocuit Ecclesie, quàm omnes monarchiæ, vel imperia orbis: de qua Dan, 2. & 7. & bona pars, Apoc. & sybilla Erithræa de qua supra item beatus Methodius martyr fusissimè. Ista secta complectitur omnes errores priscorum hereticorum, sed præcipuè constat ex quatuor sectis hæreticorū scilicet Berilli episcopi Bostraneæ ciuitatis Arabiæ, qui dicit Christum cōceptum ex spiritu seu flatu Dei, & esse tantum hominem, cum Hæbione, Chærinto, Arriano, Photino, &

M iij

Paulo Samofetano: dicunt tamen diuinitatem habitare in Christo sicut in quouis iusto, licet excellētius in eo. Item cōstat hæresis Machometi secta Iacobitarū, qui baptizantur, & circumciduntur, & ponunt vnā naturam in Christo, negantque Trinitatem, qui fuerunt olim excommunicati, & proiecti ab Ecclesia Græcorum, per Dioscorum episcopum Constantinopolū. Item ex secta Manichæorum, qui dicunt Christum nō verè passum vel mortuum, & idē astruit Apelles. Item ex hæresi Nestorij qui dogmatizauit Christum habere & duas naturas, & duas personas, & quòd deitas non sit, vnita Christo personaliter, sed habitat in eo tanquā in templo vt solet in iustis, 1. ad Corint. 6. & 2. Cor. 6. & Ioan. 14. Et quòd beata virgo non est $\theta\epsilon\omicron\upsilon\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$, id est mater Dei, sed $\chi\epsilon\iota\sigma\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$, id est, mater Christi, qui damnatus est in 3. synodo Ephesina 200. episcoporum vt patet distinct. 15. Canones. *Caesar. C. de heret. l. damnato.* Damnatur etiam lege Cæsar. C. de heret. l. Damnato vnde Sergius monachus Nestorianus, pro suis sceleribus extrusus suo monasterio, & alij 12. hæresiotæ istarum quatuor sectarum antè dictarum edide-

1. Cor. 6.

2. Cor. 6.

Ioan. 14.

Distinct. 15.

Caesar. C.

de heret. l.

damnato.

runt Alkoranum (id est) collectoriū præceptorū anno 620. Arabes sprete à Rom. soluentibus donatium cum conscriberentur milites cōtra regem Persarum deficientes ab imperio Romano elegerunt sibi ducem Machometum, sub quo occuparunt triplicem Arabiam, Ægyptum in qua tunc habitabant innumeræ centuriæ monachorum & Anachoritarum, quos interemerūt æquatis solo monasteriis, item totam Syriam prodentibus hæreticis eo quòd essent excommunicati & præcisi ab ecclesia catholica. Multa signa iræ Dei præcesserunt ortum Machometi, de quibus alibi super euangelio, Erunt signa in sole, &c. Exin Machom. quemadmodum Hieroban extruxit templa, & fudit vitulos, quos illic reposuit ne decem tribus adirent templum hierosolymorū & reuocarentur ad sceptrum domus Dauid: sic ille edidit nouam legem & ædificauit primū templum seu Mesquitum Damasci, demū occupauit Persiā, Mesopotamiā & Caldæam, quo mortuo Abdalla Motalif cū parte exercitus Machometi venit ad partes Occiduas, & occupat Affricam & Hispaniam, destruendo

DE REGNO

templa Christianorum, & cogēdo ad legem Machometi. Iomar gener Machometi occupat omnes prouincias Orientis vsque Indum fluuium. Iste ædificat templum Salomonis, quod nunc cernitur Hierosolymis ad honorē Dei & Machometi. Postmodum anno Domini 1063. ex Scythia superuenerunt Turcæ, qui receperunt legem Machometi, & occuparunt Armeniam, Asiam minorem, Græciam, & nūc, traiecto Helesponto, totam Græciam Dalmatiā vsque ad Vngariā, & omnes fermè prouincias ab Hystria vsque ad Taurisium, quod est limes regni Persarum. Deinde anno Domini 1212. venerunt Tartari Machom. & occuparunt Scythiam, & tres Indias, & omnes prouincias vsque Boristenem & Tanayn & Rusciā. Nostro æuo Ismael Sophi sub prætextu religionis, & reformationis legis Machometi cum esset concionator inuasit totam Persidem, cum prouinciis circūadiacentibus, vt possit contendere cum Turca: non dissimilibus artibus occupauit Charif regnum Fes, Marochiū, & maiorem partem Affricæ. Inter omnes autem qui presserunt ecclesiam est mo-

narchia Turcarum qui orti sunt ex Scythia, dicti Gog & Magog, Ezech. 38. 39. *Exec. 38. 39.*
 Apoc. 20. Magog est filius Iaphet a quo *Apoc. 20.*
 Scythæ: Gog tentorium dicitur lingua Scythica, Magog extra tentorium. Nam Scythæ in tentoriis habitant. Vide Gen. *Gen. 10.*
 10. & 1. Paralip. 1. Turca dicitur miles vel *1. Paral. 1.*
 populator, Diuus Methodius eos vocat vastitatem orbis: Machomet dicitur furor vel indignatio. Secta Machometi edita est anno Domini 630. quam nunc profitentur quatuor maiores Imperatores orbis videlicet Tartarus, Persa, Turca, & Cherif seu Caliph. Ruina Imperij Turcici erit signum propinqui finis mudi. Unde in expugnatione Damiatæ regni Ægypti a sancto Ludouico repertus est liber qui dicebat signum certissimum totius imperij Turcarum ruinæ quando sepulchrū Machometi destrueretur: quod factū est a paucis annis per fulgur quod cecidit super sepulchrum & corpus Machometi quod excidit in abyssum. Unde Arabes statuerant relicto Machometo cōuolare ad baptismum si non intercessisset quidam sacrificulus illius legis, qui ex suggestu exposuit illis Machometum

DE REGNO

sibi apparuisse sub noctem, dicentē quod Dominus statuerat perdere totam illam Arabiam desertam, vbi est ciuitas quę dicitur Medina Aluabi vbi est templum & sepulchrum Machometi, sed quod Macho. à Domino obtinerat quod tota iracaderet super corpus eius & sic continuit suos in illa brutali lege. Illa autem ciuitas est tantum 300. domorum distita à Mecha itinere vnius diei. De Machometo vaticinatus anno 300. S. Methodius martyr quem citat Hieronymus in libro illustrium virorum cui reuelata Apoc. intelligentia cum esset in cacere apud Calcedoniam. In nouissimo, inquit, sexto millennario sæculi exient filij Ismaelis de Heremo, & erit aduentus eorum castigatio sine mensura & misericordia, & tradet Deus in manibus eorū omnia regna gentium propter peccata, quæ operata sunt contra præcepta Dei. Ideo tradet nos Deus in manus Barbarorum quia oblitus sumus præcepta Domini. Facient enim Christiani multa illicita quia maculabunt se ipsos adeo quod turpissimū est dictum: propterea tradet eos Deus in manus Saracenorum. Perfida erit in captiuitate &

in occisione Capadocia & in captiuitate & occisione Cilicia, in tribulatione erit terra Syrię & solitudine, & eius habitatores captiui ducentur. Sicilia similiter & habitatores eius in gladio peribunt: Græcia in captiuitate erit & occisione, Affrica similiter Ægyptij, &c. ibi nominat idem Meth. Asiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam & quomodo occidēt sacerdotes Machometani illi proijcient item reliquias sanctorum, deflorabunt virgines etiam in templis, & super altaria, ligabunt ad sepulchra sanctorum equos, incendēt ecclesias. Illa, inquit, est discessio, de qua Paul 2. ad Theff. 2. id est disciplina qua corripientur omnes habitatores terræ à Machometanis. De hoc Abbas

Ioachim in speculo visionum lib. 8. cap. 41. Itē hyldegardis quæ prophetauit anno 1079. in lib. Reuelat. Dei, parte 3. c. 14. S. Methodius in fine Reuelat. suarum cōcludit quomodo post castigationem Christianorum destruetur tota monarchia Machometi appropinquante iudicio.

*In speculo
visio. lib. 8.
cap. 41.*